



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XVII. De sequestratione Possessionum & Fructuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

tium hoc, cum eam emeret, ignoravit, pretium à venditore recuperabit, atque insuper tertiam ejus partem, sibi ab eodem præstandam, ob dolum & sui deceptionem. *l. fm. cit. §. 1. ubi Interpp. & Panorm. in cit. c. Ecclesia 3. n. 10.*

19. *Sua* amen hæc, de rerum & actionum litigiorum alienatione prohibita, doctrina patitur exceptiones; quia ejusmodi res in alios transferri variis casibus permittuntur: & *Primo* quidem ex causa dotis, vel propter nuptias donationis, *§. 1. cit. in fine*; quod hæc propter justam affectionem nuptiarum videtur esse causa necessaria; cum fortassis, quæ eò nomine dari possint, res aliæ non suppetant: & propterea adversarii divexandi præsumptio cesset. *Secundo*, causâ transactionis, aut divisionis rerum hereditiarum, *§. cit. nisi omnia ejusmodi bona litigiosa essent inter hæredes eorumque adversarium*; hoc enim casu in istius præjudicium dividi inter illos non possent, *Cephal. Consil. 64. n. 28. & cum eo cit. Farinacius 21. n. 266.* Tertio, per ultimam voluntatem, seu viam institutionis, aut etiam legatum, *§. cit. & Novell. cit. cap. 1. §. Et hoc au-*

tem. Casu tamen, quò res litigiosa legatur, hæres litem cum defuncto captam periculò & commodò, sive damnò & lucrò legatarii prosequitur; cum iste, si hæres vicerit, legatum: si autem vincatur, nihil consequatur; ut adeò nihil, quàm eventus seu exitus litis relictus videatur, *§. Et hoc autem cit. & Auth. fm. C. de Litigiosis, Sichardus in l. Censurus 4. ibid. n. 23.* Quarto, cum consensu collitigantis, *22.* vel gratiâ Principis, imò aliquando ex justa causa, puta; quòd res alioquin esset peritura, ipsius judicis permissione, *Farinacius l. cit. n. 270.* Quintò, si alienatio fiat ab aliquo tertio, cui ea cum collitigante est adjudicata; cum enim respectu tertii vitio litigiosi affecta non sit, ab isto facta ejus alienatio jure valet, *Menoch. cit. Præsumpt. 97. n. 45.* Sextò, si ab ipso collitigante alienetur, vel obligetur in eum casum, quò litigiosa desinet esse, *Sichardus in l. Censurus cit. n. 20. & ibi Bruneman. n. 6.* Septimò, si pendente lite, adversarium injustè & calumniosè agere, & de ejus non jure, evidenter constet, *Menoch. l. cit. n. 48. & aliis casibus, relatis ab isto & Haunoldo Tract. cit. n. 718.*



TITVLVS XVII.

De Sequestratione Possessionum & Fructuum.

¶ Um, lite pendente, nihil sit innovandum, regulariter interdicta est sequestratio: per quam res litigiosa, à possessore ablata, deponitur apud sequestrum.

ARTICVLVS I.

De Sequestrationis Natura, Decreto & Effectu.

003 SUMMA.

SUMMARIUM.

1. *Sequestri etymon.*
 2. *Ejus & Sequestrationis definitio.*
 3. *Sequestrari res litigiosæ quæcunque,*
 4. *Et apud quemcunque, etiam Judicem;*
 5. *Non tamen apud invitum possunt.*
 6. *Sequestratio speciei quædam est Depo-
siti latè sumpti:*
 7. *A quo strictè accepto variè differt.*
 8. *Eà non transferitur possessio:*
 9. *Nisi etiam ipsa sit litigiosa.*
 10. *Arrestu differentià à Sequestratione:*
 11. *Qua vel Voluntaria est, vel Neces-
saria.*
 12. *Ista ferè non nisi ad instantiam,*
 13. *Parte adversà citatà,*
 14. *Ex justa causa,*
 15. *Et præviâ summaria cognitione de-
cernitur.*
 16. *Sequester gerit curam rei apud se se-
questrata:*
 17. *Cui annexam beneficii collationem
&c. aliqui Necessario:*
 18. *Alij etiam Voluntario Sequestro ne-
gant.*
 19. *Melius adstruitur utrique,*
 20. *Juris conferendi capaci:*
 21. *Qui illud confert, litigantium vo-
luntatem exquirendò.*
3. **S**EQUESTER sic dicitur, quòd litigantes, vel potius ejus fidem isti sequantur, l. *Sequester* 110. ff. V. S. Gellius *Noti. Attic. Lib. 20. cap. 10.* Tholosan. *Syntag. Lib. 23. cap. 3. n. 5.*
4. Est enim Sequester tertia quædam persona, ad quam plures, puta, Actor & Reus, rem, de qua controversia est, sive mutuo consensu, sive præceptò judicis custodiendam, & victori restituendam deponunt, ut desumitur, ex l. *cit. & l. Licet* 17. pr. ff. *Depositi*; ac proinde sequestrare seu Sequestratio possessionū & fructuum, de qua *Rubrica* nostra, aliud non

est, quam illius & istorum ex manibus seu potestate Rei & Actoris depositio in manus alicujus terti, à quo custodiantur, & lite finitè ei, qui in causa vicerit, restituantur, Hostiensis in *Summa*, num. 1 & Barboza in *cit. Rubric. n. 7.*

Hujusmodi autem apud tertium depositionem, sive sequestrationem, de Jure admittunt res, quæcunque sub controversiam & custodiam cadunt, non solum temporales & immobiles, ut villa, prædium & similes possessiones, hisve annexæ, ut Ecclesiæ, Capellæ, Dignitates & Beneficia Ecclesiastica, c. *Examinata* 14. de *Judiciu*, c. *filectus* 2. &c. *Clemen. Unica* hic: & mobiles, sequere moventes, ut possessionum fructus, servus &c. *Rubric. cit. & l. Si hominem* 7. ff. *Depositi*: imò & liberæ personæ, ut fæmina, viro, se in matrimonium, aut ejus à se divertentis restitutionem petenti, excipiendo opponens metum, quòd id contractum, c. *Cam locum* 14. de *Sponsal.* Professionem Religiosam editam ante ejus consumationem, c. *Causam* 14. de *Probat. capitale* odium, aut lævitiam viri, c. *Ex transmissa* 8. &c. *Literas* 13. §. *fin. de Restit. Sponsal.* &c. Tholosan. *cit. cap. 3. n. 15.* & Tuschus *Prætic. V. Sequester conclusi* 201. an. 3.

Sicut res quæcunque, ita apud quemcunque deponuntur, qui fidelem ejus custodiam ac diligentem curam habiturus existimatur, unum tantum, vel etiam plures, saltem duos, ut Romæ consuevisse, testis est Vestrius apud *cit. Tholof. n. 12.* qualis tamen neuter litigantium, & istorum neutri ob singularem in alterum affectionem suspectus esse debet; ut facilis componatur lis: &, istà finitè, res victori sine fraudis aut violentiæ periculo restituitur. Judicem etiam sequestrum esse posse, idem negat n. 13. quòd id non congrua

congruat honestati. Sed, etsi ad præca-
vendam omnem suspicionem, officio se-
questri ferè meliùs ablineat, rei tamen
inter partes coram se litigioz curam &
custodiam admittere, Jure nuspian pro-
hibetur; imò eam admittenti non obscu-
rè favent textus, *l. Litigatores 11. §. 2.*
ibi, *Si res apud arbitrum deposita sunt,*
ff. de Arbitr. & clariùs l. Si fidejussor 7. §.
2. ibi, Apud officium deponi debet, ff.
Qui satisd. cog. Jalon. in §. fin. cit. n. 2.
& Curtius Jun. in *l. Unie. C. de Prohib.*
sequestr. q. 4.

Si verò rem litigiosam sequestret ap-
ud alium, iste ejus curam & custodiam,
sicut admittente non tenetur, arg. *l. Si*
hominem 7. pr. ff. Depositi; neque ordi-
nariè ad id compelli potest; cum seque-
ster ex contractu vel quasi obligetur, *l.*
Si quis §. 3. ff. de Dolo; contrahere autem
invitus nemo cogatur, arg. *l. Nec emere*
16. C. de Jure deliberandis; sic eam semel
voluntariè admittam, ad libitum & sine
authoritate judicis, ex justissima causa
permittentis, dimittere non potest, *l. Ei*
apud §. fin. ff. Depositi. Bartol. in banc
l. & Jalon in §. fin. cit. n. 3. Ex hacten-
us dictis

Patet primò, Sequestrationem vo-
luntariam speciem quandam esse Depositi
latius accepti, *l. Et apud §. 1. & l. Propriè*
6. ff. Depositi, Tholosan. *cap. cit. num. 3.*
Ab eo tamen strictius accepto non in uno
duntaxat: & Imprimis quidem differt;
quòd hoc de re inter alios non litigiosa:
sequestratio autem non nisi de re, inter ali-
quos in, vel etiam extra judicium, contro-
versa esse possit, *pr. cit.* Deinde; quòd
res apud aliquem deponi etiam ab uno
tantum: ejus autem sequestratio non nisi
à pluribus litigantibus fieri queat, *l. Propriè*
& pr. cit. Neque aliud rectè desu-
mitur ex *l. Si quis 9. §. 3. ff. de Dolo,* ubi
res à litigantium altero sequestrata per-

hibetur; quia hoc factum intelligi debet
cum colligantis consensu, ut textus cum
pr. cit. concilietur, Haunold. *Tom. 4. de*
J. & J. Tract. 10. n. 792. Præterea; quòd
rei pluribus communis depositum non
in solidum, sed à singulis pro parte, quam
in ea quisque habuit, *l. 1. §. 44. ff. Depo-*
siti; rei autem litigioz sequestratio ab
unoquoque in solidum: non pro parte
tantum facta intelligatur, *pr. cit.* Et de-
mum; quòd res deposita repeti ad libitum
possit, §. *Præterea 3. Instit. Quib. mod.*
oblig. re contrab. sequestrata autem non
nisi controversià decisà, *l. Et apud cit. §.*
2. imò hâc decisà cedit victori, *cit. Ho-*
stiens. n. 2.

Non desunt graves DD. qui hanc
inter ea differentiam statuunt, quòd de-
positione sola rei detentio & custodia,
l. 1. pr. ff. Depositi; sequestratione au-
tem, saltem communi partium consensu
factâ, ejus etiam possessio in tertiam per-
sonam transferatur, propter *l. Licet §. 1.*
ibi, *Rei deposita non sola proprietat, sed*
& possessio manere dicitur apud deponen-
tem: nisi apud sequestrum deposita sit;
nam tum demum possidet; id enim agitur
ea depositione, ut neutrius possessioni id
tempus procedat. Contrà alii frequen-
tiori calculo possessionem in sequestrum
etiam voluntarium transferri: & ex *l. cit.*
desumptam inter Depositum & Sequestra-
tionem differentiam negant; propter tex-
tum, *c. Examinata 15. de Judiciis,* quòd
rei quasi possessionem in sequestru trans-
latam non obscure negatur. Quòd DD.
dissidium, *l. Interesse 39. ff. de Acquir.*
posseß. insinuata distinctione RR. compo-
nunt; vel enim, inquiunt, inter partes ex-
pressè actum est; ut ipsa rei possessio se-
questratur, seu apud tertium deponatur;
quòd fortassis ea ipsa sit litigiosa: vel
simpliciter & custodia causâ in tertium
translata est? Si petiùs, eam in sequestrum
volun-

voluntarium transferri; ac proinde à priori ejus possessione inchoatam præscriptionem interrompi, etque remedia possessoria auferri, concedunt: & contra negant casu posteriori, sive, quò de possessione transferenda actum non est, Felinus in c. *Examinata* cit. n. 10. Laiman. in c. *Dilectus* 2. n. 3. Gonzalez in c. *Ab eo* 3. b. n. 5. & Haunold. *Tract. cit. n. 794. ex l. Interesse* cit. de sumptam distinctionem firmans eâ ratione; quòd, cum possessio jus valde æstimabile, ejusque commoda minimè levia sint, eam facillè dimittere, aut temerè abijcere velle, nemo facillè præsumatur. Ne autem distinctioni, l. *Licet* cit. §. 1. adverteretur, hunc ad prius ejus membrum & casum, quò sequestrata est ipsa possessio litigiosa: aut, ut ista apud litigantium neutrum sit, specialiter convenit inter litigantes, cit. aliiq. DD.

10. Patet secundò, eandem sequestrationem, licet commune aliquid habeat cum Arresto, ab isto tamen multùm differre; cum istud, non species depositi, aut alterius contractus vel quasi, sed manus quædam injectio sit: & contra, quàm sequestratio, ab uno tantùm, de re etiam non litigiosa, & non tam causâ custodiæ, quàm impediendæ translationis rei, vel personæ soleat exerceri, Hunnius in *Trentl. disp. 26. q. 11.* & Haunold. l. cit. n. 801.

11. Porrò Sequestratio valde celebri, & jam insinuatâ partitione, alia Voluntaria seu Conventionalis dicitur, alia Necessaria seu Judicialis: quarum illa mutuò utriusque litigantium consensu: ista ferè

12. utròque, vel saltem illorum alterò invito, fit autoritate & mandato judicis, eam ordinariè & extra casum, quò, ne ad manus & arma deveniatur, periculum est, non decernentis, nisi ad instantiam partis. Quâ petente, ut ad hujusmodi sive judicialem sequestrationem procedatur,

Primò citari à judice debet pars adversa, contra quam ea est decernenda; notissimi enim Juris est, in omnibus actibus, qui cum causæ cognitione decerni solent, citandam partem, cui iis præjudicatur, l. *De unoquoque* 47. pr. ff. de Re judic. Nisi adversa pars suspecta de fuga & periculum esset, ne ad eam capiendam ipsa citatione instruat & animetur; hòc enim casu ad rei controversiæ sequestrationem, parte non citatâ, procedi posse, cum Baldo in l. *Si fidejussor* cit. §. 2. docet Curtius de *Sequestro*, q. 7. num. 40.

Secundò; ut sequestrationem pars non calumniandi & adversarium vexandi, sed rei conservandæ & quod suum aut debitum est, conservandi animò petat, Panormit. in c. *Dilectus* 2. n. 28. & propterea eam petendi justam, v.g. fugæ, dissipationis, deteriorationis causam lubellè, prælitò, si hujusmodi causâ manifestata non sit, & adversarius exigat, calumniæ juramentò, judici ostendat, arg. l. *Qui bona* 13. §. 13. ff. de Damno infecto, Vincentius Caroc. 1. de *Sequestro*, p. 3. q. 2. & Harprecht in §. *Præterea* 3. *Instit. Quib. mod. re contrab. n. 136.*

Tertiò; ut, qui eam petit, de Jure suo, sive id, quod petit, suum aut sibi debitum, judicem saltem summarè doceat; cum enim, lite pendente, in præjudicium partis aliquid innovari nec Jus, nec ratio permittat, sicut ad missionem in possessionem ex primo decreto, sic etiam ad sequestrationem, non ad simplicem petentis assertionem procedendum, sed priùs ab isto de jure judici fides facienda est: quod non solum per instrumentum publicum, ut aliqui volunt, sed etiam per alias probationes, v.g. per testes, fieri potest, arg. l. *Si fidejussor* §. 2. cit. ubi sequestratio permittitur, si persona sit suspecta. Ratio est; quia hujusmodi probatio sufficit ad mis-

ad missionem in possessionem ex primo decreto, & ipsam rei personam apprehensionem, quæ majoris præjudicii sunt, ut cum Panormit. *cit. n. 28.* docent & rectè arguunt *cit. Curtius q. 12. n. 51. & Caroc. q. 2.*

Quartò; ut ejus decreto præmittatur cognitio causæ, quâ judex, citatis & auditis partibus, accuratè dispiciat, an jus actoris saltem summarie sit probatum, & adversarii defensiones non relevantes: an sequestrationis petitiæ causa sufficiens & jure approbata, vel ab isto expressè approbata gravior sit, Harprecht §. *cit. n. 137.*

16. Porrò Sequester, sive Voluntarius, sive Necessarius sit, rem sibi commissam diligenter custodire, ne quid ipsius dolò latève culpâ incommodi patiat, ipsius curam gerere, & ejus fructus colligere, & si servandò servari nequeant, pretium inde collectum, & lite finitâ cum ipsa re victori restituendum, servare debet, *c. Ex literâ 11. Clement. unic. l. Et apud §. 2. cit. & l. Si in Asia 12. §. 2. & 3. ff. Depositi.* Ipse verò omnia damna, ex re sequestrata accepta & sumptus, omnèque id, quod in eam necessariò, vel utiliter impendit, repetere potest; ne officium, quod alieni, non sui, commodi causâ accepit, ipsi sit damnosum, *l. Si servus 61. §. 5. ff. de Furtis.* Unde

17. Dubium oritur & non modica controversia inter DD. est, an Sequester, v.g. castri Jus Patronatûs, vel Prælaturæ aut alterius dignitatis, conferendî, eligendî &c. jura annexa habentis, lite & sequestratione pendente, ad beneficia vacantia clericis præsentare, illa his conferre &c. valeat.

Quidam enim cum Selva de Benefic. p. 2. cap. 9. & Tholosano similis Tractatus cap. 38. n. 18. eam potestatem sequestro Voluntario concedunt, & negant

Necessario; quòd illi, non etiam illi, competat possessio rei sequestratæ, *l. In revesse 39. ff. de Acquir. possess. & l. Unica C. de Prohibita sequest.*

Alii cum Panormit. *in c. Examinata 15. de Judic. n. 15.* eam negant utrique. Primò; quòd rem sequestratam neuter possideat; eamque ex una, non administret nomine proprio *l. cit. ex altera vero parte, præsentatio, collatio &c. alieno nomine fieri non possit, eò ipsò; quòd, cujus nomine facienda sit, nesciatur, & litigetur.* Secundò; quòd rei sequestratæ fructus, qualis respectu Patronatûs & conferendi jurium præsentatio & collatio sunt, servare teneatur victori, *c. 1. & Clement. unic. à hic &c.* Tertio; quòd sequester comparetur creditori, detinenti pignus; cui, in re oppignoratâ, præsentandi aut conferendi jura annexa habente, jurium istorum exercitium non competit, *c. Cum Bertholdus 18. de Sent. & re judic.*

Demum & melius alii præsentandi, &c. potestatem sequestro utrique, istius capaci, adstruunt & Rotæ Decis. firmant Gonzalez ad Reg. 8. Glossam 23. num. 17. Garcias de Benef. p. 5. cap. 6. à n. 1. & Vallensis Lib. 1. de Benef. tit. 12. num. 3. eâ permoti ratione; quòd ad sequestrum spectet administratio rei sequestratæ, quoad spiritualia & temporalia, & executio jurium ipsius, ut patet ex *cit. Clement.* ubi illi plena istius cura conceditur; imò expressè exercitium jurium beneficio sequestrato annexorum, & ipsa collatio Episcopatus annexa tribuitur à Glossa, *ibi, V. Beneficium.*

In contrarium allatæ rationes non urgent. Prima; quia sequestro administratio, ac proinde etiã præsentatio, collatio &c. non competit ratione possessionis, sed ratione sequestrationis; & ista facit nomine alienò judicis, sive superioris, à

Pp

ris, à

- ris, à quo non tantum custodiam, sed etiam curam, & cum ista iurium rei sequestratæ annexorum, exercitium accepit, *Clement. cit.* Altera; quia, victori eos duntaxat fructus servare debet, qui servari possunt, & ditiores efficiunt: quales non sunt presentatio, collatio beneficii &c. quarum dilatio & diutina istorum vacatio affert damnum Ecclesiæ & periculum animarum: præterquam, quod nullum temporale lucrum afferat presentanti, vel conferenti, *Palao Tract. 12. disp. 2. p. 28. n. 6.* Postrema; quia sequester creditori non æquiparatur, quando non est eadem ratio utriusque: sicut contingit in presenti; cum sequestro exercitium iurium rei sequestratæ & presentatio &c. solum permittatur propter incertitudinem domini vel possessoris: qui certus est respectu rei oppignoratæ, *Pirching Lib. 3. Tit. 5. n. 89.*
20. Dixi tamen, *Istius potestatis capaci,* qualis laicus respectu iuris eligendi, conferendi, secluso privilegio, non est: et si talis sit respectu iuris patronatus seu presentandi, *Garcias cit. cap. 6. n. 13.*
21. Conveniens etiam est; ut, quod à se visum asserit *Rebuffus* apud *Tholos. l. cit.* sequester castri vel Prælatuæ super presentatione vel collatione faciendâ colligantium voluntatem exquirat, & ad beneficium presentet eum, in quem uterque consentit: aut, si dissentiant, eum, qui ex duobus per eos nominatis dignior apparet: nisi tertii alicujus presentationem suadeat ratio specialis.
- ARTICULUS II.**
De Sequestratione Jure prohibita & permessa.
SUMMARIUM.
22. *Sequestratio Voluntaria Jure licita:*
23. *Necessaria prohibita est:*
24. *Ut eâ generaliter non pecunia datur, taxat,*
25. *Sed alia quoque res nequeant sequestrari.*
26. *Permittitur specialiter I. Cùm reus de fuga &c.*
27. *II. Aut maritus de dotis dissipatione &c. est suspectus:*
28. *III. Cùm periculum est, ne partes veniant ad arma:*
29. *IV. Cùm non sit, quod debeat ratione rei litigiosa:*
30. *V. Cùm appellatum est contra modum executionis:*
31. *VI. Cùm missionem ex primo decreto rei,*
32. *VII. Vel persona qualitas non admittit,*
33. *Quamdiu contumacia durat:*
34. *VIII. Cùm ita missus in possessionem dissipat fructus.*
35. *IX. Cùm possessor à sententia appellavit:*
36. *Atque insuper periculum est dissolutionis.*
37. *X. Si contra possessorem definitum in Curia lata sit super beneficio.*
38. *Hoc tamen sequestrari nequit, cùm illa contra actorem:*
39. *Vel contra reum super solo contra beneficium:*
40. *Vel super isto non in sed extra contram Curiam Romanam:*
41. *Aut in Curia contra triumvalem possessorem est lata:*
42. *Vel ante sequestrationis mandatum à Curia acceptum.*
43. *Casus sequestrationis à Pio V. permissa,*
44. *Aut præcepta.*
- R**egula est, rei litigiosæ Sequestrationem ordinariè prohibitam: non quidem Voluntariam; hanc enim generatim

generaliter permissam DD. uno ore affirmant, & evincit clara ratio; quod, cum rerum suarum quilibet moderator & arbiter sit, *l. In re mandata 21. C. Mandati*, contractum, cujus hæc sequestratio species quædam est, de ea inire, *l. Sicut 4. C. de O. & A.* & pro se introducto juri, eam, donec controversia finita sit, ipsi invito auferri & transferri in alium, ut mox statuemus, prohibenti, renuntiare liberè possit, *c. Si de Terra 6. de Privileg. §. l. fin. C. de Pa-*
23. Sicut. Sed Necessariam sive judicalem: quam regulariter illicitam esse, desumitur ex proposita Rubrica, quæ est *De Possessionum & Fructuum sequestratione*, subintellige, *Generaliter prohibita*, juxta Rubricam *C. de Prohibita sequestratione pecunie*, ut in *Suina n. 4.* advertit Hostiensis & suadet ratio; partim, quia lite pendente nemo deiciendus est à propria possessione, & istius commodum privandus, *Rubric. Stext. Ut lite pendente §. l. 1. C. de R. V.* partim verò; quia hujusmodi sequestratio refert speciem executionis, à qua iudicium non est inchoandum, *l. 1. C. de Execut. rei judicata*, sed, probato potius debito, reus condemnandus; & tum demum ad solutionem vel rei traditionem est compellendus, *l. Negantes 9. C. de O. & A. Panormit. in c. Dilectus cit. n. 16. Jason in l. Si fidejussor cit. §. fin. n. 27. Harprecht in §. Præterea 3. Instit. Quibus mod. oblig. contrab. n. 74. Hunnius in Treul. disp. 26. q. 12. Haunold. cit. Trañ. 10. n. 796.* & frequentiori calculo ceteri DD.
24. Neque huic Regulæ in sola pecunia locum esse, evincitur; quod ex una, allegata Codicis Rubrica, & huic subjecta lex non generaliter de rerum quarumcunque, sed expressè *de Pecunia sequestratione prohibita* loquatur: ex altera verò parte, textibus Juris Imperialis, & Ecclesiastici etiam, *c. 1. c. Dilectus 2. & Clement. Uni-*

ca cit. aliarum rerum necessaria sequestratio permittatur: & propterea eam generaliter non prohibitam, ut nos Communem secuti, sed permissam, Cuiacius *In cit. Rubric. C.* & quidam alii DD. velint. Sed perperam; quia Imprimis nomine Pecuniæ in Jure non sola pecunia numerata, sed etiam corpora quæcunque, & quandoque omnis res mobilis & immobilis, etiam incorporalis, quæ in patrimonio nostro esse, & ad pecuniam reduci potest, venire solet, per expressos textus, *ll. Pecunia 178. pr. & 222. ff. de V. S.* imò in dubio in hac latissima significatione nomen illud accipi oportere, & *cit. Rubricâ textuque* accipi posse, volunt *cit. Hunnius q. 12. Harprecht n. 87. & Haunold. n. 798.* Deinde; quia ratio, quod ordo Juris & ipsa æquitas persuadeat, reum prius conveniendum, dein ad solutionem pulsandum: & non incipiendum ab executione, ob quam pecuniæ sequestratio *cit. Rubricâ.* eique subjectâ *lege unicâ* prohibita est, generaliter militat adversus quarumcunque rerum litigiosarum sequestrationem: quâ, antequam suam intentionem probet actor, & reus, tam Reali, quàm Personali actione conventus, convictus sit, res, de quibus lis est, ab ipso invito in tertium transferuntur. Et demum; quia alii utriusque Juris textus, hujusmodi rerum sequestrationem permittentes, non continent Regulam: sed ab ista exceptiones & singulares casus, quibus sequestratio rei litigiosæ, generaliter prohibita, ex justis causis specialiter est concessa, ut notant, & argumenta, quæ in contrarium afferuntur, latè dissolvunt DD. *cit.*

Casus autem, quibus rerum tam immobilium, quàm mobilium, etiam incorporalium, sequestratio Jure specialiter permissa est, à Panormit. *in c. cit. à n. 8. Harprecht in §. cit. n. 107. Haunold. l. cit.*

l. cit. à n. 799. & aliis varii referuntur. Præcipui, & silentiò non prætermittendi sunt

Primò, si petatur res mobilis, & possessor, immobilia non habens, de fuga, dilapidatione, dissipatione sit suspectus, nec satsidet, *c. Dilectus cit. c. fin. hinc & l. Si fidejussor cit. §. fin.* Imò, si hujusmodi suspicio vel dissipationis periculum legitime probetur, rei, etiam actione Personalis conventi, rem quamlibet, ex obligatione petitam, sequestrari posse, communis doctrina & ratio perspicua est; ne iudicium elusorium reddatur: & actor, quantumvis intentionem suam legitime probet & victoriam reportet, in executione sententiæ à reo nihil, vel parùm consequatur. *l. Nam is 6 ff. de Dolo, cit. Panormit. n. 6. Gaill. Lib. 1. observat. 148. n. 2. & 3. & Haunold, l. cit.*

27. Secundò, si maritus, constante matrimonio, bona dotalia dilapidare, aut labi facultatibus incipiat, & uxori de indemnitate sive conservanda dote sufficientem cautionem non præstet, istius sequestratio concedi potest; ut soluto matrimonio uxori superlit, *c. Per vestras, 7. de Donat. inter vir. & uxor. & l. Si cum dotem 22. §. 8. V. Sin verò ff. Solutio matrim. Panorm. l. cit. n. 10. & Bald. Novell. de Dote, p. 6. privileg. 70.*

28. Tertiò, quando litigantium pars utraque se possidere contendit, & præsens periculum est; ne veniatur ad arma & possessio ab una vi occupetur; tali enim casu iudex, non solum ad alterius instantiam, sed etiam ex officio & motu proprio rem inter eos controversam, donec possessio uni adjudicetur, sequestrare potest, arg. *l. Si cuius, 13. §. 3. ff. de Usufructu, ubi Glossa V. Jurisdictione, & Panormit. n. 12.* cum enim sequestratio ob metum & suspensionem dissipationis aut fugæ adversarii permilla sit, multò magis licita erit, ad rixas, cædes, aliæque ejus-

modi iucommoda evitanda; quia priori agitur de privato: posteriori autem hoc casu de publico favore Reipublicæ, cujus tranquillitas & felicitas adducitur in discrimen; *Cur enim*, inquit, *Julianus §. cit. ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, quos potest sua jurisdictione componere*: cujus sententiæ à JCT.^{is} aliis §. cit. Gordiani Imp. rescripto, *l. Si super possessione 9. C. de Transact. Caroli V. & Ferdinandi I. Imp. Constitutionibus super litigiosa & momentanea possessione*, in Comitibus Augustæ ac Wormatiæ superioris seculi anno 22. 48. & 55. promulgatis approbata & Imperialis Cameræ usu recepta est, telle Minsingero *Cent. 2. observat. 1. in fine.*

Quartò, si reus ratione rei litigiosæ, v.g. beneficii Ecclesiastici obligatus est ad aliquid præstandum, quod etiam admonitus non præstat, v.g. si Canonicus vel Parochus non resideat, vel non compareat in Ecclesia, aut non gerat curam animarum &c. ejus beneficii fructus usque ad litis decisionem deponi apud sequestrum possunt, arg. *c. Pervenit. 28. de Appellat. cit. Panormit. n. 13. & in c. Dilectus cit. Laiman. n. 2.*

Quintò, si à sententiæ executione appellatù, non quidè sit: ut illa non fiat, cum ab ea, postquam sententia in rem iudicatam transit, appellatiõne Jura non permittant, *l. Ab Executore 4. ff. de Appellat. & l. Ab executione 5. C. Quorum appellat. non recip. sed*; quòd in ea excedatur modus iudicationis, puta, eam in majori quantitate faciendo, & plus, quàm iudicatum est, restituendo. A cujus excessu, interposita provocacione, res, si mobilis, ipsa possessori detracta: si verò immobilis sit, ejus fructus ab ipso appellatiõnis tempore capti natque apud idoneum sequestrum deponuntur, *l. cit. Ubi Glossa V. In deposito Bruneman. n. 3. & Laiman in c. fin. cit. n. 3.*

31. Sextò, eadem sequestratio Jure permissa est, cum reus contumax, & in ejus bonorum possessionem missio ex primo decreto non est locus, propter periculum peccati vel scandali; sicut enim, lite super matrimonio pendente, sequestratur uxor profuga, quando ei à sævitia viri aliter satis caveri non potest, *c. Literis 13. de Resit. Spoliar.* & sponsa vel uxor accusans matrimonium; quòd à se id non liberè, sed gravi & injustò metu sit contractum, honestis personis custodienda traditur, quando periculum est; ne vi corumpatur à viro, *c. Cum locum 14. de Sponsal. ubi Glossa, v. Timere, & Barbosa n. 4.* Eòdem modò super beneficio litigantibus duobus, quorum neuter est in possessione, aut, si ejus possessor legitime citatus, contumaciter absit; quòd propter vitiosum ingressus periculum ex primo decreto in possessionem mitti præsens actor non possit, *c. 1. de eo, qui mitt. in poss. in 6. beneficium cum fructibus apud sequestrum, qui id, lite pendente, administret, deponi à judice potest, arg. c. Olim 25. de Rescript. § 1. Si qua 5. ff. Famil. heredit. cit. Panormit. n. 14. & 17. & Laiman. n. 2. in fine.*

Calu tamen, quòd, locò missionis in possessionem, res litigiosa sequestratur, sequestrum revocatur, si reus, à contumacia recedens, expensas moderatas adversario præstet, & de judicio sibi sufficientem præstet cautionem, ut delimitur ex *c. 1. hic & c. Cum venissent 3. Ut lite pend. & ratio est; quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, arg. l. Si cum 10. §. 2. ff. Si quis caution. Unde, sicut tali casu revocaretur immissio in possessionem, *c. in. §. In aliu. Ut lite non contest.* ita etiam revocabitur sequestratio ei substituta, Panormit. in *c. 1. cit. n. 18.**

32. Septimò, simili modò, cum in rei

petitæ possessionem ex primo decreto mitti actor de Jure posset, judex aliquando æquitatem sequi: & si attentis circumstantiis, præsertim qualitatis personarum litigantium, quòd v.g. utraque, vel saltem actor, persona, vel locus Religiosus sit, expedire judicaverit, mitius procedere, & immisionis locò rem sequestrare potest, *c. Ex literis 2. de Dolo*: non quidem usque ad exitum causæ, sed donec reus à contumacia recedat; ut, si iste post factam sequestrationem hujusmodi affectus compareat, & refusus expensis de parendo juri, seu sistendo in judicio, cautionem præstet, sequestratio cesset, & ipse recuperet possessionem: sicut hæc recuperat, si intra annum compareat post missionem in possessionem, *§. In aliu. cit. in cujus locum sequestratio subrogatur, Panormit. in c. Ex literis cit. n. 13. & Laiman. n. 1.* Hòc autem modò sequestratio, si fiat, actor clericus, Ecclesia vel Monasterium non nimis avidè inhiare videtur possessioni rei: & iste, quod actorem clericum vel Ecclesiam maximè decet, benignius habetur; quia minus præjudicium affert sequestratio, quàm ex primò decreto facta missio in rei petitæ possessionem; cum ista, non etiam sequestratione facta, actor post annum veram rei possessionem & istius commoda consequatur, Curtius de Sequestrat. *pr. n. 12. Laiman. cit. n. 1. & Harprecht. in §. Præterea cit. n. 128.*

34. Octavò, quando actor, lite pendente, fructus rei, in cujus possessionem ex primo judicis decreto missus est, pro arbitrio distrahit & dissipat, *c. Dilectus 2. cum enim tali casu actor non verus possessor, sed detentor tantum & custos rei sit, & fructus non faciat suos, juxta dicta Tit. 14. n. 7. hi meritò sequestrantur: quod fieri etiam, saltem quoad fructus, debet casu, quòd reus ad petitam possessionem actori reddat.*

reddendam condemnatus à sententia contra se lata appellavit, si periculum sit; ne, appellatione pendente, dissipentur, ex decisione *c. fin. & l. Imperatores 21. §. fin. ff. de Appellat.* quia, si sententia confirmetur, cum re litigiosa auctori restituendi sunt etiam fructus, à litis contestata tempore percepti, *l. Certum 22. C. de R. V. Unde*

35. Dubium oritur, an rem litigiosam aut ejus fructus sequestrandi sufficiens cautela sit, quòd contra ejus possessorem lata sententia, & ab ista sit appellatum, etiam si fructus non dissipentur. Ratio dubitandi desumitur partim ex *§. Quoties 11. post can. fin. 2. q. 6.* quòd tali casu fructus sequestrandi facultas datur indistinctè, & nullà factà mentione dissipationis: & ex *Clement. Unic. hinc*, etiam sine distinctione statuente, casu, quò sententia contra beneficii possessorem lata, & ab ea appellatum est, beneficium sequestrandum: partim; quòd, juxta dicta, in casu dissipationis fructuum, si sequestrari possint, etiam isti antefententiam sequestrantur. Unde nihil speciale statutum fuisset, *§. cit.* si post appellationem fructus sequestrari non possent extra calum dissipationis.

36. Nihilominus ordinariè, neque ipsam rem, neque istius fructus extra dissipationis periculum sequestrandos, passim receptum est apud Interpp. & DD. quòd regulariter & extra casus Jure expressos, lite pendente, nihil innovandum, etiam post interpositam appellationem, *l. Unica ff. Nihil innovari appell. interp.* Et, si quid innovatum fuerit, revocandum sit, *c. Non solum 7. de Appellat. in 6.* Unde *§. Quoties cit.* textus interpretationem accipit à *c. fin. & l. Imperatores cit.* ad sequestrationem requirentibus dissipationem aut saltem periculum, *Gonzalez in c. fin. cit. num. 11.*

Neque hinc sequitur *c. fin. cit.* nihil

statui speciale; quia casu, quò post appellationem fructus dissipi incipiunt, hincundum ejus decisionem sequestrantur, etiam si possessor possit satisfacere; non item, si eos antea dissipans idoneus sit ad satisfacendum, *arg. l. cit. Ita in c. fin. cit. Panormit. n. 7. Vivianus in ejus Ratione & Laiman. n. 2.*

Neque obstat *cit. Clement.* quia eà continetur Jus omnino novum, quò statuitur, casu, quò, duobus super beneficio, personatu, vel dignitate Ecclesiastica litigantibus, una vel plures sententiæ definitivæ in Curia latae sunt contra possessorem, qui illud nondum integrò triennio pacificè possedit, beneficium &c. litigiosum per Ordinarium loci, in quò illud est situm, sequestrandum apud idoneam personam: quæ, dum lis pendet, plenam ejus curam habeat & administrationem; ut constat ex textu: quò etiam hujusmodi sequestrationem impediens, aut fructus sequestratos occupare præsumens, ipsò factò excommunicati pronuntiantur. Quod statuendi justa ratio *cit. Clement. pr.* insinuatur; ut malicia litigantium, præsertim reorum, compescatur, sive; ne beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum possessores, ut fructus diu percipiant, super iis motas lites in multos sæpe annos protrahant, magnò damno collitigantium, qui ita laboribus & expensis fatigantur & exhauriuntur, & maximò animarum periculò detrimentoque Ecclesiarum, quibus diuturna vacatio in rebus tam spiritualibus, quàm temporalibus, gravia damna asferre solet, *c. Finem 5. de Dolo, Barbosa in Clement. cit. num. 4.*

Et si verò nova hæc Clementis V. Constitutio locum habeat, quando in Curia sententia definitiva, etiam una tantum, sive in Petitorio, sive in solo Possessorio, lata est contra ejus possessorem, eà tamen contra

Contra supra traditam antiqui Juris Regulam decretæ beneficii aut dignitatis Ecclesiasticæ sequestrationi locus non est.

Primò, si sententia non definitiva, sed interlocutoria duntaxat: vel definitiva quidem, sed tantum contra petitorum, vel unum ex pluribus petitoribus: non contra beneficii possessorem lata fuisset, Glossa in *Clement. cit. V. Definitiva* & *V. Possessorem. ubi Panormit. n. 3. & Barbosa n. 34. & 35.*

39. Secundò, si definitiva quidem etiam contra possessorem, at non super ipso beneficio, vel dignitate: sed tantum super aliquo onere, illi annexo, v.g. solvendi ex eo censùs, vel super obligatione beneficiati, v.g. ad præstandum aliquod obsequium, esset lata, *citt. Glossa, V. Super Beneficio, & Panormit. n. 3.*

40. Tertiò, si definitiva contra possessorem, & super ipso beneficio lata esset, non in Curia, intellige, Romana sive apud sedem Apostolicam per Rotæ vel quemcumque alium à Papa deputatum Auditorem: sed extra illam, sive dein ab alicujus diocesis Ordinario, sive à Legato, vel delegato Papæ esset lata, Glossa *cit. V. Duntaxat.*

Quartò, si etiam in Curia Romana lata esset sententia definitiva. una pro possessore, altera verò contra eum pro petitore sive actore, Glossa, *V. Possessorem cit.* quia, cum tali casu possessor & petitor unius sententiæ definitivæ, in Curia lata, præsumptionem pro se habeat, ambo sunt pares: in pari autem causa melior est conditio possidentis, *Reg. In pari 65. in 6. & causa rei favorabilior, quam actoris l. 125. ff. de R. J. Zabarella in Clement. cit. n. 3. & Barbosa n. 6.*

41. Quintò, si possessor, contra quem lata est sententia, beneficium litigiosum trienniò completò pacificè, hoc est, nullà

interim lite super ea sibi motà, possideret, Glossa *cit. V. Triennium*; quia gravis præsumptio pro triennali possessore est; quòd bona fide & jure nitatur, & non præcisè ad protrahendam litem & gaudendum fructibus appellàrit: & contra adversus actorem, qui integrò trienniò tacuit, gravis præsumptio est; quòd, si non iniquam, saltem valde ambiguum litem habeat, *citt. Zabarella n. 13. & Barbosa n. 15.*

Sextò demum, etiam latà in Curia super beneficio vel dignitate contra possessorem sententià definitivà, ad ejus sequestrationem Ordinarius loci, in quo id situm est, procedere non potest, antequam de eo sequestrando mandatum à Curia expeditum acceperit: quod Curia stylo & praxi receptum, monet Jordanus Lucruba *Lib. 14. Tit. 85. n. 9.*

Laudatæ Clementinæ affines sunt Recentiores dispositiones Pii Papæ ejus nominis etiam V. Imprimis judicibus concedentis facultatem, lite Beneficiali extra Curiam pendente, decernendi sequestrationem super fructibus beneficiorum, sed à Apostolicæ reservatorum, sive affectorum, & ordinarià vel alià autoritate nulliter collatorum, *Constitutione*, quæ incipit *Sanctissimus*, publicatà 26. Octob. 1560.

Deinde præcipientis; ut quando inter eum, qui à Papa vel Ordinario de dignitate, vel beneficio alicujus Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatae provisus est, ex una, & Capitulum seu Canonicos, ad quos ad beneficium receptio, sive in istius possessionem missio spectat: & quibus ejus, possessorem non habentis, fructus & distributiones accrescunt, ex altera parte litigatur: ut, inquam, lite inter eos pendente, fructus, redditus, distributiones, ceteraque emolumenta penes personam idoneam deponantur: eaque finitè illi, cui de jure postea fuerint debita, restituantur,

antur, Constitutione, quæ incipit Cordi no-
 bis est, edita 3. Calend. Aprilis 1568. quas
 refert Quaranta Summa Bullar. V. Seque-
 strum & latè explicant Gonzalez ad Reg.
 8. Præm. §. 7. & Jordanus cit. Tit. 15. a
 num. 7.

TITVLVS XVIII.

De Confessis.



Xpeditis, quæ circa varia Judi-
 ciorum incidentia sanctioni-
 bus Ecclesiasticis constituta
 sunt, progredimur ad causam
 Principalem sive intentionem actoris, cu-
 us isti probatio ferè incumbit: nisi ad-
 versarii, sive rei confessione à probandi o-
 nere releveretur.

ARTICVLVS I.

De Confessione Judi- ciali.

SUMMARIUM.

1. Confessio alia Judicialis, alia Extra-
 judicialis est.
2. Ad illam requiritur; ut à mentis
 compote,
3. Et pubere,
4. Liberè ac sponte,
5. Et ex certa scientia;
6. De re certa,
7. Naturæque & Juri non repugnante,
8. In iudicio, coram Judice competente,
9. Et parte adversâ, ejusve procuratore
 presente;
10. Secundum aliquos etiam, expressâ
 causâ, fiat.
11. Confessio judicialis plenè probat eon-
 tra confitentem;
12. Qui tamen per sententiam in Crimi-
 naliibus,
13. Et in Civilibus etiam causis est con-
 demnandus.
14. Positioni respondere recusant pro
 confesso, non in Criminalibus,
15. Sed in Civilibus causis habetur:
16. Neque in his, freccusandi justam ha-
 beat causam.
17. Confessio procuratoris domivo;
18. Prelati Ecclesia vel Monasterio;
19. Et authoris successori aliquando,
 non semper, nocet.
20. Crimen confessus de sociis interro-
 gandus non est:
21. Nisi in specialiter exceptis,
22. Et quibusdam aliis criminibus;
23. Vel, cum interrogationem permittit
 consuetudo,
24. De sociis nunquam rei fidei suspic-
 ita,
25. Et alij de certis personis in specie in-
 terrogandi;
26. Neque eorum dicta, non confirmata
 credendum,
27. Aut in denuntiatis specialiter in-
 quirendum est:
28. Nisi denuntiatio sit adminiculata.
29. Crimen incidenter confessus Ordina-
 riâ,
30. Vel arbitrariâ penâ plecti potest.
 Confess.